

408

406

412

402

417

397

457

357

507

307

Ende

Anfang

397

tiani in captivitatem redegerunt venditores farinae et omnibus  
emtoribus ut farinam reportarent mandaverunt accensoque igne  
in medio Rivialto omnem injecerunt farinam et combusserunt in-  
finito inspectante populo. Dies ille longior mihi caeteris videbatur,  
pro eo, quod in crastinum intendebamus recedere; licet enim  
urbs Venetiana sit pulchra et mirabilis et omnium rerum mundi  
sit ibi abundantia, tamen illi, qui in ea nati et enutriti non sunt,  
longas ibi habent horas, nec morari ibi diutius delectat, pro eo,  
quod semper homo alienus ibi stat in quodam timore et sollicitu-  
dine, in tantum, quod aliquando quidam non possunt ibi nec dor-  
mire nec quiescere, quorum aliquos vidi; nam aliqui timent, quod  
urbs absorbeatur lubrico fundata solo, aliqui quod fluctibus obruan-  
tur irruentibus, aliqui quod domus altae solvantur in fundamento,  
aliqui ne subito tumultus fiat populi timent et in seditione adver-  
sus alienos occiduntur. Sed illi timores sunt aut superstitionum,  
aut phantasticorum, aut formidulosorum. Superstitioni timent non  
timenda, ut Aegyptii timebant easurum coelum, si Apollinis idolum  
removeretur; et phantastici timent, Atlantem fieri fessum et coe-  
lum abjecturum a se; et formidulosi timent ad sonitum et casum  
(B) folii de arbore cadentis. Sed et nonnulli fatui in securitate  
existentes timent, et sine formidine in locis insecuris sunt. Vi-  
di de his unum, nam vitricus meus conduxerat famulum, domui  
suae servientem, qui erat villanus, et numquam in oppidis moratus  
fuerat, cumque per diem unum et noctem in domo nostra man-  
sisset, petiti licentiam redeundi in villam, dicens, se nulla ratione  
posse manere. Cumque vitricus meus causam quaereret, respon-  
dit: ecce, inquit, quando cogito, oppidum esse muro cinctum et  
nocte portis clausum, tantus timor me invadit, quod inhorrescant  
pili capitum mei. Sicque dimissus reversus est in villam, ubi nec  
muri nec portae erant, et ibi quiescere potuit. Sic etiam est  
cum illis, qui timent Venetiis. Verum tamen nihilominus causa  
subest aliqua timoris in Venetiis, nam ego ipse nonnumquam timore  
affactus fui: ibi enim non auditur folium de arbore cadere, sed  
tantum strepitus et fragor maris ab extra, praecipue noctibus, dum  
omnia in silentio sunt, quod non vitiose timet homo. Solebam  
frequentius in mediis noctibus surgere et in altanam ascendere  
ad orationem, ubi quandoque pree confusione sonitus maris non  
poteram manere. Cottidie etiam ibi corruunt muri et domus, et